FAMA POSTHVMA
Diui
SIGISMVNDI AVGVSTI
REGIS POLONIÆ
Pace belloque semper AVGVSTI,

ORATIONE PVBLICA

Illustrissimi & Reuerendissimi olim

DOMINI STANISLAI KARNKOWSKI
Episcopi Cuiauiensis. Post Archiepiscopi Gnesnensis, &
PRIMATIS REGNI.

ET

RESPONSO

Illustrissimi & Reuerendissimi

DOMINI FRANCISCI KRASINSKI
VICECANCELLARII REGNI.

Jllustrata; & in perennem rei memoriam Typis tradita;

Nunc iterum nouiter recusa,

Præsentem Gedanensium statum exactissimè repræsentans.

Andrzej ko[illegible]

ORATIO

Reuerendissimi Domini

STANISLAI KARNKOWSKI CVIAVIENSIVM EPISCOPI,

Comitiis Varsouiensibus Anno 1570. in Senatu habita, quâ exponuntur & explicantur acta Legationis Gedanensis.

AD laudem & gloriam nominis Maiestatisque tuæ, ac nostram Legatorum tuorum existimationem, hoc tempore valdè pertinere arbitror, SERENISSIME REX: si ea, quæ à nobis diuturnis tractationibus Gedani acta sunt, certiùs ac planiùs cognoscentur: quæ quidem ego ex hoc loco, qua potero breuitate, ita exponam.

Duæ res præcipuæ fuerunt, quarum causa nos Lublinensium Comitiorum decreto abs te missi, apud Gedanenses ciues Regio tuo imperio subiectos Legatione functi sumus. Prima, vt veterem authoritatem imperij tui à Gedanensibus neglectam ac contemptam, iusq; in eos Regni, collapsum & obsoletum pristinæ dignitati restitueremus. Altera, vt cognosceremus, publicané totius Gedanensis populi culpâ, an paucorum superbâ obstinatione, superiore anno Legati tui portis clausis Gedani exclusi sumus. Et vtriusque quidem culpam in prætorio illius vrbis Magistratu residente comperimus. Quantum autem in ea vindicanda præstiterimus,

ex ijs quæ constituta à nobis in illa vrbe sunt, & ex totius plebis scito sancita, quæ hic literis mandata proferimus, cognosces. facile enim apparebit, nihil eorum, quæ commissa nobis sunt, esse à nobis prætermissum. Quæ si ex Reipublicæ commodo fore iudicabis, erit autoritatis Maiestatisq; tuæ, rata atque firma esse iubere: prudentiæ verò, cauere deinceps, vt Prussia Prouincia tua, præcipuè verò Gedanum & Portus, præclara & insignis Regni tui portio, multo labore, tuorumque & nostrorum maiorum sanguine in libertatem vendicata, Regno perpetuò cohœreat: neué quis in ea Prouinciales tuos, ciues præsertim Gedanenses, nouarum rerum studio, & priuatæ dominationis cupiditate, à fide & clientela tua auocare, & à totius Regni corpore auellere audeat: id quod conati quidam sunt, nisi tempestiuè cura prouidentiaque tua huic malo prospexisset. Et vt faciliùs, quám longè à iure imperij tui in illa vrbe discessum fuit, cognosci queat, repetendum memoria est, qua cura, & administratione maiorum tuorum Regum Poloniæ, & Magnorum Lithuaniæ postea Ducum, Gedanensis ciuitatis gubernata & constituta sit. Hi enim cùm pro sua prudentia viderent, quantum Prussia Prouincia, vrbs præsertim & portus Gedanensis, ad Regni Poloniæ integritatem momenti obtineret, vt Gedanensium erga se fidem firmiùs obstringerent, insignibus libertatum, & Priuilegiorum beneficijs eos afficiendos iudicârunt, sed ius maris & Portus nunquam ita illis concesserunt, vt de eo quid liberet priuato consilio statuendi potestatem haberent. Intelligebant enim, non

esse

esse ex dignitate sua Regniq; decoro, si se, qui veri Reges & domini illius Prouinciæ essent, tanti momenti imperio excluderent, illudque ciuibus, qui ferè ex aduenticijs & collecticijs externisque constant, concederent, quo fama, amplitudo, maiestas, opes, ac incolumitas totius Regni continetur. Casimirus certè auus tuus, in eo Priuilegio, quo illam vrbem dignam iudicauit, postquam Prussiam omnem Cruciferorum impotenti dominatione oppressam, libertati Regni restituisset, expressè integrum sibi Reique publicæ suæ ius portus ac maris reliquit, quo ab ipsis Regni primordijs, & ante & post occupatam à Cruciferis Prussiam Reges Poloniæ proprio & hereditario citra omnem controuersiam vsi sunt. nec post Casimirum Gedanenses id sibi vsurparunt priuato suo arbitrio vnquam, sed tantum sibi iuris sumebant, quantum illis beneficentia Regum ac Regni tribuebatur. E publicis Priuilegiorum diplomatibus ab hoc Casimiro Gedanensi vrbis concessis, quæ & ipsi in sanctiore ærario condita adseruant, & in Archiuo Regni extant, satis constat: portus & maris vsum ad exercenda duntaxat commertia illis esse concessum. Atque idem Casimirus Rex post restitutam redintegratamque corpori suo, id est, Regno Prussiam, cùm se verum, iustum, ac legitimum totius Prussiæ & Ciuitatis Gedanensis antiquo Regum Poloniæ iure dominum agnosceret ac profiteretur, stabiliendi in ea vrbe imperij Regij causa, pro arce metu Cruciferorum diruta, Curiam Regio fastigio dignam, publici consilij domum, & aulæ suæ receptaculum, equorum stabula, frumenti cellas & horrea

fieri

fieri sibi intra mœnia mandauit, & solenni stipulationē pactus est, facturosque se publico sumptu publicarum literarum fide Gedanenses primo quoque tempore spoponderunt: nimirum, vt notum ac testatum relinquerent, se non fœdere aut societate iunctos Regibus Poloniæ esse, vti ipsi vana quadam iactantia se vocare non verentur, sed imperio eorum subiectos, & eius Ciuitatis incolas, quæ ditione Regni conclusa, ab antiquissimis Regibus Poloniæ condita est & fundata: ac propterea, quæ meri huius, vti dicitur, imperij sunt, ea semper in illa vrbe Reges Poloniæ exercebant. & pro se, cùm abessēt, recuperatores seu commissarios, iudices & cognitores, defensoresque tam ad corrigendum publicum Reipubl: illius vrbis statum, quàm ad vindicandas priuatorum iniurias: si quibus ab vrbano Magistratu premi viderentur, delegabant. Atque hic Magistratus, etsi more ac lege in illa vrbe, vt in plerisque etiam Regni Ciuitatibus visitato, plebis populisque suffragijs legebatur, eorum tamen suffragiorum Reges Poloniæ autores semper fuerunt, in quorum verba inituri Magistratum concepta & præscripta formula iurabant, vt vndique appareat summum ius summumque imperium eos in Gedanenses habuisse, quibus leges condendi, Magistratus creandi, eosque delegatorum iudicum autoritate coërcendi potestatem habebant: sapientissimè prouidentes, ea in perpetuum fræna, ad retinendam coërcendam tum totius Prouinciæ, si quâ postea erumpere vellet, tum Ciuitatis illius, licentiam valdè efficacia fore. quæ posteaquam iniquitate temporum & Rectorum negligentia laxata

laxata sunt, luxuriantibus vrbis opibus, animi hominum fortuna insolescentes efferri, & paucorum opulentiorum ac potentiorum dominatio insolescens, legitimum Regij imperij ius labefactare cœpit. nam quod solis Regibus Poloniæ licebat, quodque illorum proprium erat, id sibi pauci vrbis decuriones temerario ausu ijsce temporibus vsurpârunt, pauca ex multis arrogantiæ eorum exempla proferenda sunt.

¶ Inscio & inuito te, Serenissime Rex, portum Gedanensem tuum, arbitrio suo aperiunt ac claudunt, quos volunt eò recipiunt, ac vt libitum est excludunt: maris oram ac fluminum ostia sibi vendicant: bona naufragorum rapiunt: vicinis subiectis tibi vrbibus & negociatoribus nauigandi & negociandi leges præscribunt: Pharo, quæ Laterna dicitur, & qua ad Regnum tuum patentissimus aditus est, externa præsidia sacramento suo obstricta imponunt. nec minore in ipsa vrbe patrant: iuramenta, quibus tam Magistratum ircituri, quàm Ciuitate donandi fidem tibi suam, more & instituto maiorum, obligare solebant, mutârunt: teque excluso in sua verba iurare iubent: militem, quoties collibuit, scribunt: delectum & foris & domi habent: externos, quorum magna pars in vrbe est, contra te armant. nec vt sacramento soluant, ac arma deponant, iubenti tibi parent, quos fide tua, & saluo conductu tutos in Ciuitate illa tua esse vis, violant: ad te prouocandi, iudicio suo grauatis, potestatem adimunt: decreta iudicij tui iustissima contemnunt ac rescindunt, nec vnquam executioni demandant: ciues suos grauibus exactionibus expilant: inso-

litis operis opprimunt: non vrbe solum, sed ex tota Prussia, quos visum est illis, pellunt: & in exilium agendi, proscribendi, bona publicandi, autoritatem sibi arrogant. Ius claricationis & pignorandi, in homines tuos, Regio prorsus fastu, tanquam in suos, externis & domesticis, publicarum literarum suarum autoritate, dant. Mitto alia pleraque ad iurisdicendi, non tam ex æquo & bono, quàm ex libidine paucorum, rationem pertinentia: mitto ciuilis ærarij dissipationem: & arbitrio potentiorum profusos sumptus, ac quibus pauci decuriones, nescio cuius terræ filij, omne merum Regiumq́ue imperium ad se pertraxeruut: & in directi dominij ius inuaserunt: ita vt superiorom se in terris agnoscere neminem ostenderent. Et quidem non ita secretò ista ab eis patrabantur, vt animaduerti abs te non possent: verùm pro benignitate imperij tui toleranda hæc & dissimulanda putasti, vsque eò, dum non magnum Reipubl: tuæ periculum ac isti vrbi imminere videres: & dum transmarini, Daniæ scilicet, & Sueciæ Reges amici tibi fuerunt, sed postquam Ericus Suecorum Rex, violato veteris amicitiæ iure, hostili erga te animo se esse, multis argumentis declarauit, ac à Dano non satis pacata omnia nunciarentur, nam Moschus magna Liuoniæ parte & portu Naruæ occupato, imperio maris nostri imminens ad bellum tibi inferendum, societatem cum illo non obscurè inijt: Lubcenses quoque æmuli ac propè capitales Gedanensium ac tui portus hostes, nonnullæq; aliæ maritimæ Germaniæ vrbes, Gedanensium emporia defraudare, & in altum euehi, non merces solum externas, sed

& bel:

& bellica omnis generis instrumenta hostibus perpetuis nostris Moschis naualibus suis suppeditare, eosq; aduersum te armare ceperunt, quibus tu hostium tuorum conatibus obuiam eundum, & ne quid Respublica tua ex eo detrimenti caperet prouidendum esse censuisti: ne scilicet totius maris imperio potiti, potentiores euaderent, portusque Gedanensis vectigalia interuersa ad se pertraherent & non solùm, sed omnibus Europæ populis in hoc Septemtrionali maris tractu, nauigationem infestam redderent: propterea ciuitatem priùs illam, tuam in potestatem iure tuo redigendam, & ad officium reuocandam instituisti: nec, al ò tua hæc instituta consilia, tunc spectabant, quàm vt Naruica nauigatione, quibus commoda ipsorum Gedanensium impediebatur, hostes prohiberi posśint: ac non Gedanensium solùm detrimenta in ea noua nauigatione versari tibi videbantur: sed ad omnes Europæos ea pertinere sapienter iudicásti. Ideo de eo ad Christianos Principes ad Cæsarem præsertim retulisti, & quantum periculi Reipubl. Christianæ à Moschis immineret, si maris huius imperio potirentur, & ad terrestres opes maritimas vires aggregarent, docuisti: hortatusq; es, vt in communi omnium periculo, pro sua quisque parte eius nauigationis initia opprimenda sibi putaret. Cæsar bene iudicium tuum secutus, contra Rempub. eam nauigationem sibi videri decreuit: ac iudicio cameræ eos qui eam promouerent damnásse dicebatur. quod & Pomerani Duces curæ sibi fore sunt professi, ne præter eorum litoris oram, vlla nauigia Naruam transmittere possent. Gedanenses

B quoque

quoque, quanto in discrimine commoda eorum versarentur, admonuisti: & vt sibi cauerent hortatus es: verùm salutaribus præceptis monitisque tuis aures eorum patere noluerunt: nec ad auertendum proprium periculum suum vllam opem contulerunt: ac ne naues quidem, quas vt tibi ad arcendos illo mari hostes vtendas commodarent postulasti, commodare tibi voluerunt: qua eorum erga te maleuolentia, opurtunissimarum vrbium Rigæ & Reualiæ occupandarum occasionem amisimus: nec tibi tum ab omnibus naualis pugnæ instrumentis imparato Regi, vllum aliud auxilium, quandociuium tuorum fide destituebaris, tam citò, vti periculi magnitudo & optimæ gerendæ rei oportunitas postulabat, superfuit: nisi quòd priuatorum quorundam oppidanorum erga te de publicis omnium detrimentis solicitum maior fides, propensiusq; studium enituit: qui cùm essent nauticarum rerum scientia & apparatu instructi, nullius quæstus sui causa, sed optima erga Rempub: voluntate excitati, vt suam tibi fidem priuatim, quando publicè non licebat, probarent: suis nauibus te iuuandum susceperunt, ac operam suam tibi contra eos, qui hostibus tuis Naruam belli præsidia insolita nauigatione subuehebant, nauare sunt polliciti: atque ita stipendijs tuis naualium sociorum collectam manum, nauibus ad maris custodiam imposuerunt: quos tu, vti merebantur, collaudata eorum fide, in numerum eorum referendos duxisti, qui aulicæ tuæ clientelæ nomine honoratiores censentur: & iurisdictione ciuilis Magistratus, non valdè iam eis qui de te benè mereri studebant propitij exemisti:

& Præ:

& Præfectis illis nauticæ rei maris custodes naualesq; socios subdidisti: publicis literis potestate facta, vti commodum sibi videretur, enauigandi: & in altum ex portu soluendi: ita tamen, ne amicarum sociarumq; nationum negociationes maritimas impedirent: sed eas duntaxat persequerentur, quæ Naruam ad hostes tuos nauigarent: quod quidem etsi iure optimo abs te factum est: cuius maiores summum sibi maris illius imperium reseruârunt, illudq; exercendi seu per Commissarios, seu per quos arbitrio suo vellent Præfectos, ac alios, extra vrbanum illum, Magistratus potestatem retinuerunt. tamen, vt appareret, nullis alijs causis, solitis duntaxat Gedanensium incommodis, te ad eam maris custodiam instituendam impulsum: Georgium Ciefeldium, qui in vrbano Magistratu Burgrabij munere primi nominis & subsellij ius obtinet, voluntarijs illis naualibus socijs, quos sibi vltrò maris custodiam depoposcisse dixi, præesse voluisti. qui initiò optima fide in eo officio ipsorum etiam naualium sociorum testimonio, se iessit: iusque de eis, non qua Magistratus ciuilis, sed qua Præfectus & Commissarius tuus fuit, ex æquo & bono dixit. tandem se illi hoc officio exonerare visum est: fortassis illi eiusque Collegæ Ferbero: hominibus in illa vrbe, agnatione, opibus, autoritate potentibus dolebat, in, quasi sua vrbe, cuius illi dominationem spe opinioneq; deuorauerant, autoritatem tuam reuiuiscere: & adsuetis opprimendæ vrbi, insolitos Magistratus, quorum præsentia priuata potestas a se iamdudum occupata minui videretur, enasci atque opponi. Nec minus commouebantur rumoribus, quos

instituta Regio nomine maris custodia, vulgari iam passim intelligebant: non Gedanenses ciues, vti videri semper volebant, illius maritimæ oræ & portus Gedanensis, sed Reges Poloniæ dominos esse: nec fœderatam eam, aut sociam vrbem, sed subiectam Regibus censeri. Proinde mutata in deterius voluntate ac fide, omnes rationes Clefeldus, cum paucis factionis suæ popularibus, quærendas instituit, vt dominationem suam, cuius iam non vulgaria iacerat fundamenta, tuerentur. Regiosque Præfectos ac nauales socios & vrbe exturbarent, & mari pellerent: quod quidem illis non difficile factu fuit. vt enim ad eam rem secundo populo vterentur, in cōcionibus hominum differebant, quantopere Commissariorum & naualis illius custodiæ inolescens autoritas libertatem vrbis Publicam & Priuilegiorum iura, legumq; vim opprimeret, ac violaret: ac ita plebem exagitatam, & in ipsos Commissarios, & in clientes aulicosq; tuos, quos egregia erga te fide esse intelligebant, incitârunt: vt passim per vrbem discurreretur: & infesta omnia ac excidium iis, qui cum Regia tua potestate in vrbe constituti fuerunt, immineret: eisque tutò per vrbem commeandi non relinqueretur facultas: ac ne intra domesticos quidem hospitiorum suorum parietes, satis tutum receptum habere se confidebant. Serpingus vnus ex naualibus Præfectis, illo furore plebis malè mulctatus, ægrè fuga se seruauit, vimq; armatam effugit. Architectus ex Regia tua illa cohorte, crudeliter trucidatus est. bona item ciuis cuiusdam tui, publicata, nulla alia culpa, quàm quòd fidem tuam sequutus, naualia stipendia meruerit.

ruerit.

merit. Multi præterea insignibus iniurijs affecti, à Magistratu vrbano ius sibi de nocentibus dici impetrare nunquam potueruut: quin publicè etiam insigni per summam immanitatem iniuria ab ipso Magistratu miseri illi milites tui afficiebantur. nam quod nulla legum aut iustitiæ æquitas patitur: ob paucu las gallinas, vndecem nauales socij, milites tui, Clefeldi ipsius Burgrabij iussu, indicta causa, accusante nemine, ad supplicium rapti, laqueo publicè strangulati sunt, idq; exemplo in ea vrbe inusitato, ludibrio habiti, & coronis sertisq; redimiti: in spectaculum priùs per omnes regiones circumducti: in porta loco sacrato vrbis, nullis antea tam atrocibus supplicijs funestato, furca patibuli erecta suspensi. ac ne quid ad summam crudelitatem deesset, in suspendiosorum cadauera post mortem sæuitum est, & capita detruncata vndecem, totidemque, ita vti erant coronata, palis trasfixa, in ingressu vrbis, ad nostrum vsq; reditum spectabantur. O atrocitatem, ipsorum etiam externorum, quorum maximus est in illa vrbe propter emporij celebritatem concursus, iudicio exercendam. hæc in paucos ob paucarum, si Dijs placet, furtum gallinarũ, designata aliqua vtiq; causa esse videntur. Quid autem in omnes custodes illos tuæ fidei sacramento inautoratos designauerint, paucis perstringam. Nunquam ij, nec terra, nec mari securé versari permittebantur. Pharo seu speculæ portui imminentis Præfectus, Clefeldi Ferbèriq; mandato, infesti inimiciq; ac prorsus hostilis animi in eos multa exempla edebant: stationes oppugnabat; receptu in portum remigantes prohibebat: ma-

nubia ex hostibus capta eripiebat: naues ex alto reuertentium pilis tormentarijs perfringebat, vnde sæpè in ipso portu naufragio facto. & socij nauales & gubernatores ipsi excussi, graue vitæ periculum adierunt: spectaculoq; miserabili, amarè irridentibus, & enatare prohibentibus Gedanensium stipendiarijs eiecti, vix in litus euadere potuerunt. Nec verò ij soli omni atrocissimarum iniuriarum genere vexati impunè semper sunt, sed omnes quibuscunq; opus aliquod tuo nomine faciendū Gedani locaretur, pessimè accepti tractabantur. Fabri, qui domum tuo impendio adseruandis syluestribus mercibus emptam exædificare cœperunt, non pulsi solùm loco, sed pulsati, & in carcerem ob nullum commercium compacti, ab illis, si Dijs placet, fidelibus tuis dilectis, sunt. quòd eam domum, tanquam vitio, tibi externo videlicet Regi, & in iuris sui ciuilis æqualem societatem non adscito, emptam inemptam esse iusserunt. Nec in tot iniurijs, quibus tui priuatim quotidie erant expositi, vllam Magistratus opem impetrare vnquam potuerunt: immò quicunq; iuris sibi dicendi causa Ferberum Ciuiū Magistratum adierunt, in eos, vt iniurijs iniurias cumularet probris ac contumelijs excipiebat: In summa. in id & is Ferberus & Clefeldus omni studio incumbebant, vt exagitandis & persequendis Regijs omnibus, ostenderent se Regio imperio tuo non teneri, nec tibi vel in vrbem, vel in mare proximum vllum ius esse: vt se populum nullius imperio subiectum, suis arbitriis viuentem, exleges & exreges, si ita dici queat, omnibus Germaniæ liberis vrbibus exæquatos vendicarent, cum quibus in-

iussu

iussu tuo priuatim, magno ærarij ciuilis impendio, societates & pactiones conflare non sunt reueriti. Jis rebus cùm grauiter offensam Maiestatem Regiamq; tuam dignitatem intelligeres, non tamen in iustam indignationem prorupisti, aut pro commerito, seueriùs tam atrox delictum puniendum duxisti: verùm & ad restituendam quam tot contumeliarum & iniuriarum modis custodes exagitati intermittere incipiebant, Naruicæ nauigationis custodiam, & ad pacandum Ciuitatis statum, nos Senatores Regni delegâsti: qui daremus operam, vt ad saniorem mentem perturbatores quietis, ocij, commodiq; sui reduci possent. Sed quàm turpi, quamq; infami contemptu Maiestatis tuæ vrbis aditu exclusi simus: quâq; peruicaci & deformi cõtumacia reiecti ac despecti, apud omnes nationes clariùs quàm vellemus, cum summo Regi tui nominis probro ac dedecore increbuit: delectus contra nos in vrbe habitus: miles conscriptus: populus ad arma incitatus, pontes disiecti: aditus omnes vrbis interclusi, portæ vrbis clausæ, & militaribus custodijs obsessæ: bellicæ tormentorum machinæ in foro collocatæ: tres grandiores naues hominibus & armis instructæ, & in portu constitutæ: prętorium armatis militibus circumseptum: diurnæ nocturnæq; vrbis vigiliæ omnibus locis excitatæ: & contra inermes Senatores Legatosq; tuos, vsitato ac ferè quotidiano equitatu aduentantes, publicè tumultus decretus: abundè & suis, & externis documento esse potest, quanti illi te imperiumq; tuum faciant. Quamuis autem secus, quàm sperabamus, accepti ad vrbis mœnia essemus: non tamen de sa-

mandis

nandis eis omni spe abiecta, Stolcembergum ad sextum ab vrbe lapidem concessimus, atq; ibi consistendum putauimus, & experiendum, si lenioribus consilijs nostris adducti, officij sui memores esse vellent. Sed profecimus prorsus nihil: quin & quotidiè magis ac magis infensa in nos Magistratus odia experti sumus: ne precio victus nobis ac iumentis venderetur, publicè edictum est: opificum opera interdictum, colloquio nostro ac omni consortio ciues prohibiti: secus facientes vinculis coërciti, Simonem Subscium Castellanum Inowlodens virum grauem & honestum, Senatorem tuũ Collegam nostrum, eorum alloquendorum causa in vrbem, cum præscripto ab eis comitum numero, à nobis missum & intromissum, non solùm ad colloquium non adnisẽrũt, sed per summum dedecus & ignominiam vrbe, inter intentantium ferè hastilia & barbarè insultantium militũ, quibus eam vrbis regionem compleuerant, truces aspectus, excèdere iusserunt: comites famulosq; nostros in vrbem fortè ingressos, conuitijs, ludibrijs, ac saxis impetebant ac vulnerabant: cæteraque in nos Senatores tuos abs te ad eos missos: quos si non tua domini sui causa, certè iuris gentium ac nationum omnium religione violatos ijsce indignis modis non oportuit. summi odij & maleuolentiæ argumenta malignẽ ac planè hostiliter, beneficiarij ciuesque subditi tui prodebant: quæ ne ab hostibus quidem acerrimis tuis expectassemus vnquam. Facinus indignum: qui Ericum Brunsuicensem infesta acie eorum portis succedentem prædas agentem, multis ab eo incommodis affecti, clementiùs exceperunt

huius

la utisq; decretis dignum pro maleficio iudicauerunt, & protecuti sunt, nos Senatores à te Rege suo, ex Regno missos, ex quo illi innumeris beneficijs afficiuntur, pacata omnia & salutaria adferentes hostium loco habuerunt, & sunt persecuti. Iterum tamen eosdem nos, priusq iam tantum, tot contumeliarum non tam nostrarum, quàm tuarum, dolorem concoxissemus, Comitiorum Lublinensium decreto Gedanum reuerti, & illud incendium odiorum extinguendum, in praecepsq; ruentem vrbis illius statum stabiliendum curare mandasti: res ipsa loquitur, quanti oneris pondus humeris nostris Reipublicae nomine imposueris. cui enim malo primùm occurendum nobis iam in vrbem intromissis fuit? menteśue hominum illorum summo in te nosq; Legatos tuos odio incensae sanandae, an suspiciones hominum falsa opinione seductorum abolendae, ex stimantium nos ad euertenda iura priuilegiaq; vrbis, & opprimendam libertatem abs te missos reuerti? quorum conseruandorum ac tuendorum causa homines extrema quaeque tentare non dubitant: praesertim cum seditiosis publicis, & priuatis concionibus, per confictam etiam religionis ab illis receptae ceu à nobis exstirpandae causam exagitarentur. Ac ad illius legationis difficultates, & pericula, accessit pestilentiae lues, qua Gedanum tunc infestari contigerat.

Non fuit profectò SERENISSIME REX, actio illa virium ingenij nostri, non humano nostro sed omnipotentis Dei, qui in hominum mentibus solus regnat, consilio ad.uti, aliquid vtiq; ex dignitate tua, illiusq; vrbis

com-

commodo consecuti nobis videmur. Exemplum moderationis tuæ imitati, omnium, quibus anno ante reditum in illam vrbem offensi grauiter eramus, iniuriarum obliti: priuatas illas offensas nostras remisimus: temporique Reipublicæ necessario condonauimus: & curam tuendœ dignitatis tuæ aggressi sumus. Animaduerteremus autem id, quod ex superioribus liquet, omnẽ autoritatem imperij tui à decurionibus Magistratibusq; vrbanis ereptam tibi, & sibi vsurpatam esse. omnis igitur cura & solicitudo nostra in eo primùm consumebatur, vt, quod tuum Regnique tui erat, tibi restitueretur: & Magistratus autoritas autoritati tuæ, quietis nostris, ac moderatis consilijs, sine vlla vi, sine cæde ac sanguine, publicæque pacis perturbatione subijceretur: deinde, vt aliquid ex illa vrbe ditionis tuæ, quæ omnibus Regni tui commodis vberrimè perfruitur, & amplissimis beneficijs populi Poloni vsa semper est, emolumenti ad Rempublicam redundaret. Primum igitur studium nostrum hoc fuit, vt, quo maximè populus incitabatur, quodque maximè conatus nostros remorabatur, ex hominum illorum cogitatione euelleremus. Suspicabantur enim (sicuti antè dictum est) violandarum ac rescindendarum vrbis libertatum, & seruitutis vrbis imponendæ causa, nos iterum Gedanum remissos esse: omnibus ingenij & eloquij viribus, blandè, & publicè omnes, & priuatim singulos compellando, testatum ac persuasum populo Gedanensium esse volebamus: te Principem pietatis Christianæ & æquitatis amantissimum, nihil cogitare ac statuere vnquam, quo aliena libertas lædi,

priui-

priuilegiaq; ac leges opprimi cēnserentur. quam ad rem declarandam contendebamus, vt Priuilegiorum & immunitatum illius vrbis tabulas, quibus aduentus noster periculum creare vulgabatur, inspiciendi potestas nobis fieret. quæ quoniam sanctissimè, vti par est, in ærario publico recondita erant: ægrè tandem cura & industria Magnifici domini Castellani Gedanensis, & Abbatis Oliuensis, hominum tibi & Reipublicæ fidissimorum, & in obeundis mandatis tuis procurandisq; negocijs publicis diligentissimorum, prolatæ sunt: quibus perlectis & diligenti iudicio expensis, publica claraque voce testabamur, non licere nobis, nec esse voluntatis Maiestatisque tuæ, vt quicquam aduersus earum tabularum prę-scripta aggrederemur: quin potius ad earum formulam omnes deinceps illius vrbis actiones directuros esse nos. quæ enim Reges ac Principes, quos Christos & vnctos Dei vocamus, in iustitia & æquitate gentibus imperantes, semel decreuerunt: quibusq; libertatum ac immunitatum beneficijs subditos sibi populos dignos iudicauerunt, ea rata fieri oportere: nec eis á quoquam priuatim contrauenire posse. Hoc posteaquam consecuti videbamur, vt quicquam nos contra vrbis Priuilegia aggressuros vulgus suspicari desineret: proxima nobis cura fuit non minùs anceps & difficilis, vtrumnàm priùs aggrederemur. nam cùm duo videbamus illius tuæ Ciuitatis vitia: alterum, quo imperij potestatisq; Regiæ ius conuellebatur, cuius exempla à me supra commemorata sunt, de portus videlicet & maris iurisdictione, de cæsis atrocique supplicio affectis custodibus maris, & reli-

 quis,

quis, qui in fide clientelaq; tua operas tibi præstabant, violatis: & ipsis Commissarijs, qui cum imperio tuo in vrbe erant, spretis, & multiplici ignominia appetitis, de area domoq; interuersa, de Contubernijs ciuitatis ad noxios contractus adactis. quo tractando sanandoq; animorum insana opinione exarcebatorum exulcerationem consecuturam animaduertebamus. Alterum, quod ad ipsius Ciuitatis statum pertinere, & propterea magis populare esse nobis est visum. cuius generis fuerunt: quibus ciuitas, Magistratus graui & impotenti imperandi, & onera ciuibus imponendi, vi premebantur, & in iure dicēdo nimia difficultate laborabat, impēdijsque immodicis ad paucorum arbitrium ciuile ærarium exhauriebatur. Et dignitas quidem & amplitudo Maiestatis tuæ primum locum sibi vendicare videbatur, vt eam priùs restituendam curaremus. Sed ad conciliādos hominum animos, captādamque ciuium beneuolentiam, hoc posterius magis esse nobis accomodatum intelligebamus. Igitur hoc prius aggressi sumus, vt prorsus populo persuaderemus, aduentum nostrum non, vti suspicabantur, ad eos opprimendos, sed ad iuuandos pertinere. & vt ad ea, quibus stabiliri ius imperij tui posse existimabamus, deinceps secundo populo vteremur: in illo enim prioris vitij genere inerant quædā, quibus offendi magis populus, quàm leniri poterat. qualis fuit iniuria illa atrox, tibi in nobis vrbe turpiter exclusis irrogata: quā in illud tēpus differēdam recto iudicio censuimus, quo de vniuerso corruptoq; vrbis statu inquirere institutū decretumq; à nobis

erat.

erat. Atq; hac ratione aggressi actiones nostras, diuino numine propitio, ita vti nobis à te commissæ erant, absoluimus: & ex dignitate req; tuæ ac totius Reip: Maiestatis, & nostra non vulgari existimatione. Postea tandem accersito ad nos Magistratui, posteaquam cætera, quę mandata habuimus, exposuissemus: qua verborum atrocitate potuimus, exprobrauimus quantopere Maiestas tua esset ab illis læsa, propter non intromissos in vrbē Regiæ tuæ Maiestatis Oratores seu Commissarios: & quanta, quamq; insignis apud externas gentes & nationes, amplissimo nomini tuo ignominiæ nota, ab eis esset inusta: velleq; te omninò cognoscere, publicone totius plebis scito, an aliquorum turbulentorum priuata incitatione tantum contrà se, ac Rempublicam apertæ defectionis nefas essent ausi: hortatiq; eos sumus, quorum Collegarum suorum in carcere detentorum pœnas exhorrescerent, eorum facta ne imitarentur; Sed vt Maiestatis tuæ legitimi domini imperio parerent.

Cum plebe verò, de iudiciorum iniquitate, ac post de ærarij exhausti rationibus actum à nobis, consentiēte Magistratu, est. Sed postquam inquirere in singula Magistratus munia cœpissemus, grauiter tactos ea re decuriones animaduertimus, vt sibi malè conscios facilè appareret. Proinde onerare illi nos ac obtestari, vt hac inquisitione superséderemus: non satis tutū sibi esse cum Rege dominoque suo iudicio contendere: quæsituros se rationes tuæ sibi gratiæ conciliandæ polliceri. ne nos quidem aspernandas eorum preces, aut præcidendam veniæ spem censuimus, & huic tempori conuenire ar-

bitrati sumus: ne videlicet desperatione ad extrema aliqua consilia impellerentur: ac, quam placandæ iustæ iræ tuæ rationem nobis proponerent, expectauimus. Prolatæ ab eis scripto vno atque altero aliquæ conditiones sunt, pecuniæ mulctæ nomine promissæ, reliqua arbitrio voluntatique tuæ Maiestatis demissè permissa: qua de re nos ad Maiestatem tuam referendum duximus. Non reticebimus autem mirificam tuam erga Rempublicam; voluntatem, & singularem continentiã, qua & nostræ & posterioris ætatis gratiam promeritus es. cùm enim tot bellis, quæ in Lithuania maxima impensa quatuordecimum iam annum geris, alijsque quotidianis Regiæ aulæ sumptibus ærarium exhausisses: tamen, quæ tum proferebantur priuatim tibi, non contemnenda summa pecuniæ, eas præ publicis commodis negligendas duxisti, ac nobis in hanc sententiam rescripsisti: quin hæc ad verbum epistolæ tuæ verba recitabo. In hac Gedanensi causa non quærimus priuati nostri commodi compendium: sed publicæ vtilitati seruiendum censemus. Largitionem hanc præsentis quæ offertur pecuniæ, tanquam corruptelam bonæ in Remp: nostræ voluntatis auersamur. Si quod tamen, quo perpetuis deinceps temporibus Respublica iuuaretur, vectigal, illud præsertim quod Funcolt illi vocant, imperari tibi posteaquam humili culpæ deprecatione ex præscripto publicè satisfactum nobis fuerit, patientur, id fortasse non aspernabimur.

Magna profectò hæc est, SERENISSIME REX, continentiæ tuæ laus: magnus tuorum priuatim com-

tim commodorum contemptus: magnum publicorum emolumentorum studium. Itaque ex sententia arbitrioque tuo censeri se, & dimidium huius vectigalis, quod Funcol dicitur, non grauatim sibi imponi permiserunt. atq; eo te contentum esse declarasti. Placandæ autem indignationis tuæ ea ratio inita ab illis est, vt ex Magistratu & populo primarij ad te mitterentur: qui Senatus intercedentibus præcibus adiuti, supplices ad pedes Maiestatis tuæ prouoluti, ciuitati veniam à Maiestate tua, parati imperata omnia facere, implorarent. Hoc confecto, actum à nobis ex Priuilegio Casimiri de Curia pro diruta arce in vrbe exædificanda: prolatis etiam tabulis, quibus ad eam Regio cultu & amplitudine exædificandam obligati sunt. Et quidem initiò, ei locum in foro duas proximas Prætorio domos designárant. qui quoniam dignitati tantæ Maiestatis non respondere nobis est visus: concesserunt postea palatium amplum, & tres muro extructas domos supra portam, quam Matlaua amnis alluit, eiusque Palatij & domorum Possesio nobis data iam est: in quam tuo nomine venimus. nec quicquam aliud ad eam retinendam superest, nisi quod ambigua Priuilegij sententia esset, cuius cura & custodia, Curia illa, deinceps procuraretur.

Dum hæc agimus, inquirebatur nihilominus in iudicorum corruptellas, ac ærarij profusos sumptus: cui inquisitioni qui interfuerunt collegæ nostri, viri industrij & Magnifici. Ioannes Kostka Gedanensis, & Niclaus Firleius Visliciensis, Castellani, ac Caspar Gechkauu Oliuensis Abbas, centum quinquaginta articulis pistincta delictorum capita composuerunt, quæ

non fa-

non facilè dilui posse videbantur. itaq; corrigi ea oportere, ac ciuitatis statum in meliorem ordinem redigi debere ostendimus. ne quid tamen summi imperij vi a nobis fieri existimaretur: permisimus, vt omnes ordines de eo suam nobis sententiam scripto aperirent. Dimisso concilio, & in aliud tempus reiecto, ad constitutũ diem Consularis ordo rationem quandam emandandæ vrbis suo iudicio: aliam quæsitores rerum capitalium, qui Scabini vocantur: aliam rursus Centum viri, ex plebis, fortasse, scito, præscripserunt.

Ex his omnibus maturo ac diligenti iudicio expensis, nos conflatam vnam certam formulam administrandæ deinceps vrbis & iurisdictionis exercendæ conscripsimus, ac recitatam publice in prætorio autoritate nostra ratam esse iussimus. Ea vero tribus continetur partibus. In prima consuluimus tuæ Regniq; pristinæ dignitati: ius maris & portus obsoletum & propè amissum tibi recuperauimus: in fidem & officium, quod tibi Regnoq; tuo debetur, omnes ordines restituimus: in summi Magistratus, qui in illa vrbe ex veteri instituto Burgrabius dicitur, locum, ex nostro arbitrio, hominem, quem tibi fidum & idoneũ esse iudicauimus, suffecimus: in verba quæ tua ex nouæ formulæ præscripto conceptis verbis publicè iurare coëgimus. quam formulam solennem ac anniuersariam deinceps omnibus Burgrabijs fore, statuimus. Ne posthac de Reipublicæ vrbanæ statu soli, quem hactenus morem sibi vsurparunt, Proconsules, nisi in omnium Consulum consensu publico decernendi habeant potestatem, cauimus. Milites in

vrbe

vrbe cogendi, eorumuè Præfectos & Centuriones vrbanι, Magistratu sacramento adigendi in i ssu tuo licentiam prohibuimus. Ius clarigationis & pignorandi prorsus sustulimus. ac ne vllam in perpetuum eius iurisdictionis partem sibi vendicent, quæ Regaliæ nuncupantur, vetuimus.

Altera verò illius formulæ pars, de iuredicundo, & iurisdictione exercenda, composita à nobis est. ac primum, vt qua antehac etiam capitis periculo interdicebatur, cuiuis ab illo Magistratu ad te prouocandi libera potestas esset. quæq; in ea de qua ad te prouocatum esset, causa tu iudicasses, id ius ratumq; fieret à Magistratuq; exequutioni mandaretur. De vitæ rerumq; securitate data alicui abs te publica fides, quæ saluus conductus vocatur. ab illis sæpè contempta & violata, salua & incolumis deinceps ab eis sanctè seruaretur. Priuilegia & immunitates priuatis arbitrio tuo concessas, ne priuatim rescindendi autoritatem sibi vendicaret Magistratus, Mandatis tuis, quorum nulla vel leuis admodum autoritas ab eis ducebatur, vt parerent: seq. omnibus suis actionibus tuos subditos esse meminissent, effecimus. De operis, non necessarijs laboribus, quibus plebs defatigari: de exactionibus immodicis, quibus expilari solet: ius arbitriumq; tuũ esse voluimus, & de ijs ad te non temerè referendum censuimus.

Tertio loco noua ærarij publici cura à nobis constituta est, ex singulis vrbis quadratibus, in quas vrbs distincta antiqua ratione est: ternos ex plebe viros administrationi accepti & expensi adhibuimus: ita vt orationem eorum coram delegatis abs te reddere singulis

D biennijs

biennijs cogantur. qui post nostrum Gedano discessum coram viris Magnificis Collegis nostris, domino Castellano Vislicensi, & Abbate Oliuensi, in verba tua conceptis verbis iurauerunt. Hac re profectò, si qua alia magis, non restitutam ac recuperatam solùm, sed fortissimè firmatam & stabilitam autoritatem imperij tui apud Gedanenses nemo est qui ambigat: quando iam deinceps delegatis Commissarijsq; tuis in illa vrbe cum imperio versari: & quæ ad Remp: pertinent, quo hactenus prohibebamur, agere licebit: vt perpetuò iam illa vrbs tibi se subiectam, partemq; Regni tui se esse profiteri necesse habeat: de quo tot annis inani labore, ac effuso etiam sanguine, frustra opera consumebatur.

His itaque constitutis, ventum ad quæstionem de atroci sociorum naualium supplicio est, decreuimus: iniquè, iniustè nefariè contra ius fasq; fecisse Magistratũ, qui in homines iurisdictioni suæ non subiectos, præteritis & spretis veris eorum abs te delegatis iudicibus, potestatem sibi sumere, seque hoc homicidio potiùs quàm iudicio contaminare sunt ausi. Sed quo genere pœnæ, quoue pœnæ modo hoc tantum scelus vindicaretur, arbitrio tuo reliquimus. Eiusdem sceleris reum Phari seu speculæ, quæ Laterna dicitur, Præfectum pronunciauimus: qui iussu Brant, Ferberi, Clefeldi, hostium tuorũ, nauigia naualium sociorum custodum maris tuorum, excussis, vt ante dixi, vi tormentarij pulueris machinarũ pilis, directis tanquam in hostem ictibus cõfregerit: & in graue naufragij periculum coniecerit: in eum queq; animaduertendi Maiestati tuæ ius reliquimus. atq; is nunc ecce tibi pręstò adest, iudicij tui seueritatem expectans.

Resci-

Rescidimus & eum contractum, quo ceruisiæ coctores iniquo & Reip: pernicioso obligati erant: contrà Remp: Maiestatemq; tuam fecisse iudicati à nobis sunt, qui Anglum quendã tua fide, tutò in vrbe versari iussum, violârunt: pœnaq; legibus præscripta teneri eos decreuimus. Ab omnibus tamen ijs decretis, appellandi ad tuæ Maiestatis tribunal potestas fuit: nisi quòd quorum palis affixa per contumeliam & ludibrium custodum maris in vrbis porta visebantur capita, ea publica ceremonia deponi ac humari decreueramus: ab eo prouocandi ius esse non censuimus. Cùm verò hæc promulgarentur in publico vrbis pretorio: Cleophas Magistratus scriba, eatenus ea rata fore eius Magistratus nomine protestatus est, quoad viribus Priuilegijsq; vrbis consentire viderentur. quærentibus autem nobis, nunquid eorum, quæ promulgaremus, dissentire ab ijs ipsis iuribus ac priuilegijs existimarent: nihil prorsus protulerũt, certas tamen vultu notas edebant, id sibi præcipuè durum & acerbum videri: quòd duodecem viri primates plebis quadrantarij, ad curam ærarij adhibiti sunt: id tamen palàm apud populũ preseferre non audebant: ac propterea ambiguè generalibus protestationis verbis, Scribam vti voluerũt.

Duas præcipuè res initiò dixi, quarum causa Gedanum missi eramus: ex ijs alteri, quæ ad restitutam scilicet pristinam imperij tui dignitatem pertinet, qua ratione seruiuerimus, hactenus expositum à me est. Alterum fuit. quod nos hac legatione cognoscere voluisti, ad totiusné populi ac Magistratus Gedanensis delictum, an ad paucorum perfidiam, culpa exclusionis nostræ, esset referenda. Atq; in eam rem testimonia sunt sumpta, &

conscripta Lublini sex & triginta virorum, fide dignissimorum: alia multa ijs plura Gedani summa religione dicta excepimus. Ex quibus apparet, eam fuisse illius Ciuitatis Reip: formam, vt in duas factiones distingueretur: & vtraq; suos autores secuta, ad eorum sensum se accomodaret, quorū nomina edēdi. publici accusatoris, quem Instigatorem vocamus, non nostrū Senatorū tuorum munus est. ac ij quidem factionū autores, cętera inter se valdè discordes: in eo valdè cōcordes erant, vt profligata Regiæ dñationis tuæ Maiestate, miseram plebem in suæ priuatæ potestatis vim ac iugum subiungerēt, omnibusq; vrbis ac portus commodis soli perfruerentur. Hinc est, quòd aduentantibus nobis, alter factiosorum istorum, populi concilio in publicum vrbis prætorium coacto, ad seditionem omnes ordines concitauit: affirmare ausus, aduentare nos opprimendæ & in seruitutem redigendæ vrbis causa: cùm primis verò abrogandæ religionis & fidei, cuius illa vrbs est, nouo ac recenti huius ætatis vitio, valdé obseruans, gratia, in omnes desæuituros, & sanguine illorum veteris religionis mutatos ritus expiraturos. Quæ res ita plebi intoleranda est visa: vt vel vitæ omnium que fortunarum periculum se adituros conclamauerint omnes potiùs, quam vt in vrbem ad ea quæ metuebant perpetranda intromittemur. Atque idem iste, huius concionis ac seditionis potiùs concitator, quám vilem nominis tui dignitatem ducat, exactiono ceruisiæ coctorum, quæ scriptis mandata extat, apparet. Nec iam pluribus agendum mihi est, ex testimonijs & ex ijs quæ ecce scripta profero, cognosci malorū omnium & seditionum in illo exagitato factionibus paucorum

eorum populo, causæ ac origines possunt: quæ sublatæ prouidentia tua si non fuerint, quid illi vrbi postea sit sperandum, facilè coniectura assequi licet. Nos profectò, SERENISSIME REX, ea fide & integritate hoc legationis munere perfuncti sumus, quam inesse viris Senatorijs tuisq; ac Reip: seruis par est. nulli animi affectioni indulsimus: nihil temerè, nihil festinanter actum à nobis est: tranquillè ac quietè per summam erga nos beneuolentiam acta transactaq; sunt hæc omnia, quæ ijs scriptis continentur: magnus est nobis ac omni comitatui nostro honor passim in Ciuitate habitus: nullis priuatis nostris commodis studuimus: quodq; de me profiteor, idem de reliquis meis Collegis honestissimis & summa integritate ac continentia viris polliceri audeo. Si muneribus & pecunia, qua oppugnabar, abduci me ab officio, vt paululùm aliquid à recto declinarem, siniissem: poteram hanc rei meæ familiaris, triennio ferè toto, multis sumptibus liberaliter Reip: tuaq; causa factis, exhaustam lacunam explere. quindecem millia Hungaricorum aureorum nummûm donum contempsi: nec istius non contemnendi muneris vitio corrũpi me passus sum. nec bouem, nec ouem appetiui cuiusquam: integram tibi fidem ac mihi conscientiam seruo, & quoad vixero, seruabo: ne quis eam Legationem à nobis, vel augendi commodi nostri, vel euertendæ publicæ illius vrbis libertatis causa fuisse susceptam, vllo vnquam tempore verè existimari possit.

Antequam autem finem dicendi faciam, quid deinceps Maiestati tuæ in Gedanensi hac causa faciendum censeam, ex hoc loco sententiã dicere statui. ac primùm,

vt clementer ac benignè animum tuum precibus tuorum ciuium placari permittas, ac Ciuitatem in gratiam recipias, rogamus; cùm ex ijs, quæ animaduersa à nobis Gedani diximus, liquet: non publica omnium culpa, sed paucorum petulantia offensam Maiestatem tuam esse: nec hanc paucorum Sceleratorum conspirationem, publico libertatum & priuilegiorum damno, coërcendam statuas: Inter multa te, ad clementiam & misericordiam flectere debet illud: Gedanensem vrbem in negociationibus cum externis hominibus exercendis, quæ fide ac bona hominum existimatione constant, fortunas omnes suas occupatas habere: quæ sanè eorum existimatio ac fides ad solam indignationis tuæ in illos famam conciderit, omnesq; eorum fortunæ corruerint. Proinde ne procidentibus ad pedesq; tuos prouolutis, & suppliciter culpam paucorum deprecantibus veniam & misericordiam in aliud tempus differas: sed eam facilis ac benignus iam nunc tribuas. Conuenit hoc, vt quanto maior es, tanto sis ad lenitatem procliuior, & commiserationem propensior: eique, cuius vnctus es, & locum in terris òbtines, benignitate propior: ita in vrbe illa imperium tuum multis maiorum laboribus fundatum, à te nunc iam nostra opera restitutum, firmum & stabile retinebis, si te clementiæ quam seueritati magis indulgere hoc exemplo declaraueris. arctiore enim, crede mihi, vinculo subditorum fidem bonitas & indulgentia Principum, quàm dura nimiũ & acerba seueritas obstringit. In hos quoque qui iusto iudicio tuo damnati, ex vinculis Lublini causam dixerunt, & ad pœnam adseruantur, ne quid duriùs statuas precamur: sed eadem animi mode-

ratione

ratione & ijs veniam des, vt reliqui deinceps Gedanenses benignitate, facilitate misericordiaq; tua illecti, constanter & fideliter tibi subesse, teq; amare potius quàm metuere discant.

Nunc superesse aliud video nihil, quã vt, quæ acta ac cõstituta à nobis Gedani sunt, rata esse autoritate tua iubeas. persuasũ autem esse volumus tibi, nos, vti pios Christianosq; homines decet, famæ tuæ ac rectæ conscientiæ consuluisse diligenter: illasque omnes actiones constitutionesq; nostras legibus omnibus & priuilegijs vrbis aut legitimis honestisque rationibus fundasse. Quas tamen iudicio tuo corrigendas & emendandas relinquimus, saluo summi imperij tui iure: ea omnia, quoties res tempusuè postulabit, abrogandi, mutandi, corrigẽdi, atq; eis pro arbitrio tuo derogandi. Vt tamen hæc interim rata esse velis, hortamur & consulimus, si famæ, honori, & commodo omnium Poloniæ & Lituaniæ regionum benè consultum esse vis. sic enim pericula, quæ ab inimicis tibi, Dano, & Sueco Regibus imminent, deuitabis, si confirmandis non rescindendis actionibus nostris ius tuum in Gedanenses exercere incipies, ac in possessionem vrbis tuæ Regnum tuum restitues, in eaque ita pedem figes, vt nihil agat deinceps & statuat, nisi ex tua Regniq; tui autoritate. quod ius, quoniam dubium hactenus & labefactatum retinuisti, multarum benè gerendarum rerum occasione destituebaris. Crede mihi, Serenissime REX, est cur Deo Opt: Max: maximas agas gratias, cuius ope solius, tantum in illa vrbe tibi profecimus sine vi, cæde, & sanguine. ne igitur asperneris aut negligas, iterum atq; iterum rogamus, & ex hoc Senato-

rio lo-

tio loco hortamur ac monemus, Dei hoc donum & opus, nullis nostris viribus cōfectū: sed felicibus tuis auspicijs diuinitùs illud oblatum, obuijs, vt aiunt, vlnis excipias.

Quamuis autem hæc omnia, solius Dei ope acta, trasactaq; libenter vti debemus, vtiq; fides ac pietas nostra postulat, profitemur: tamen eius diuinum implorando numen, maxima cura & diligentia à nobis omnibus in ijs ex animi sententia tuaq; & Regni dignitate cōficiendis est adhibita & versata. Sed reticere non possumus, quin cōfiteamur, Senatoris tui, viri optimi, & summa fide tibi addictissimi Ioannis Kostka, Gedanen: Castellani, in ijs omnibus actionibus tractationibusque nostris, summam industriā, summumq; studiū & contentionem enituisse: cui primas, medias, & vltimas in hoc actu partes tribuamus oportet, ac meritò quidē, nemo enim nostrum eo certiùs atq; exploratiùs rationes omnes Gedanensium perspectas tenet: nemo iura, consuetudines, disciplinā mores, instituta illius vrbis, ac vitia solertiùs, propterea quòd vicinus illis est, perspexit & inuestigauit. Rogamus itaq;, vt Maiestas tua benignam egregiæ ab eo sibi nauatæ operæ habere rationē velit. non enim labori vllo, non opibus suis, non deniq; valetudini parcit. Et quoniam vicinus illi vrbi est, quam sanando exacerbari oportuit, in non dubijs vitæ periculis versatur: dum nihil ex contentione fidei tibi probandæ remittit. Quem si digno meritis beneficio affeceris, non illum solum ad optimè de te merendū incitabis: sed reliquorū non nullorum subditorum tuorum erga te studia, ac optimè nauandam Reip: operam, voluntates prouocabis.

RE-

RESPONSVM SACRAE REGIAE MAIESTATIS

Datum Internunciis Ciuitatis Gedanensis in Comitiis Varsauiens: in publico Senatus Regni consessu, dum reciperetur Ciuitas Gedanensis in gratiam R. Mtis, & confirmarentur Acta Commissionis Gedanensis.

Per REVERENDISS: DOMINVM
FRANCISCVM KRASINSKI
Regni Poloniæ Procancellarium.

SACRA REGIA MAIESTAS Dominus noster Clementissimus, ea omnia quæ nomine Ciuitatis Gedanensis apud Sacram Regiam Maiestatem in deprecanda culpa vestra, gratiaq; Maiestatis Regiæ consequenda egistis: quæuè Maiestas eius ex clementia benignitateq; sua ciuitati donanda concedendaque putauit: ea nunc vobis declarare & significare iussit.

Grauibus imprimis adducta causis & rationibus, Legatos & Cōmissarios in terras Pomeraniæ, nominatim verò in Ciuitatem suam Gedanen: de consilio atque vnanimi cōsensu omnium Senatorum Regni, & decreto comitiorum publico ablegarat, vt ordinem & res ciuitatis illius perturbatas, iuraque & libertates factionibus ac licentia paucorum oppressas, componerent, autoresque perquirerent, exclusorum paulò antè à Ciuitate Gedanen: Legatorum & Commissariorum Sacræ Regiæ

Maiestatis, ipsamq; ciuitatem tot oppressionum & iniuriarum mole grauatam liberarent, ac in pristinum reducerent statum & tranquilitatem. Quæ igitur in bonum & vtilitatem communē Ciuitatis illius, Sacræ Maiestatis Regiæ Commissarij constituerunt: ea Maiestas ipsius ex eorum relatione abundè cognouit, suaq; iudicauit esse digna laude & approbatione.

Proinde Constitutiones ab eis latas & promulgatas, in eoq; conuentu Regni aliquantulum, ne quod ciuitatis iuribus & Priuilegijs præiudicium adferre possint, correctas, quòd videat ciuitati Gedanen: fore valdè vtiles & necessarias, ex Senatus consilio, omniumq; Ordinum Regni consensu, cum earum omnibus clausulis & punctis confirmat, approbat, roborat, perpetuoq; firmatis robore donat, ac eas ab omnibus Ciuibus Gedanen: seruari, probari tenerique mandat & pręcipit.

Quod autem ad reconciliandam gratiam Sacræ Maiestatis Regiæ per eosdem ipsos Legatos & Commissarios, Ordines ciuitatis omnes, vectigalis siue portorij, vulgò Phalgeldij dimidiatam partem Sacræ Maiestati Regiæ vnanimiter indefinitè obtulerunt. Ita tamen, vt accessione duorum denariorum, idem vectigal assensu & voluntate eiusdem Sacræ Maiestatis Regiæ & Ordinum Regni, augeretur. Eam sanè vectigalis auctionem Sacra Maiestas Regia de consilio Senatus Regni, decretoq; comitiorum publico, propter publicam necessitatem, approbat. Et quemadmodum per Legatos & Commissarios suos, deputatis omnium Ordinum ciuitatis, benignè renunciari dignata est, se eam

dimi-

dimidiam partem sic aucti portorij clementer suscipere: ita semel susceptam, ob publicum Regni commodum, & grauissimos publicos sumptus, quibus ærariũ Sacræ Maiestatis Regiæ & Regni bello & pace exhauritur, de eorundem Ordinum Regni sui consilio & sententia, gratam & ratam habet. Alteram verò medietatem ciuitati ad vsus & sumptus publicos benignè attribuit. Quemadmodum autem & anteà Generosum Ioannem Kostka de Stangenbergk Castellanum Gedanensem & Terrarum Prussiæ Thesaurarium, & Capitaneum Pucen: Dersauien: eidem vectigali exigendæ præfecit: ita & nunc quoq; ex sententia consensuq; Ordinum Regni, eundem Castellanum exactorem constituit: qui pro arbitrio suo, duos fidos & idoneos viros ad ciuitatis collectores adiunget, qui dimidiam partem, quę Sacræ Maiestati Regiæ cedet, collecturi sunt. Collectam verò prout Sacræ Maiestati Regiæ visum fuerit, salua quarta partæ quæ Reipublicæ cedet, vel thesauro Reipub: inferet, vel ex arbitrio Maiestatis Regiæ dispensabit. Ne autem ea res vel in minima etiam parte libertati, iuri, & priuilegijs ciuitatis præiudicet, neue ciuitati quoquomodo apud alios fraudi sit, Sacra Maiestas Regia autoritate præsentis conuentus prouidet. Pari modo iam pridem oblatam ab ordinibus ciuitatis & iam anteà susceptam, centum millium florenorum summam denuò suscipit. Quid autem de ea re fieri velit, ciuitati per literas siue etiam Commissarios suos significare iam commisit.

Domum Regiam consignatam eo animo Regia

Maiestas accepit, quo sibi hanc deberi putauit, in eoq; non leuem gratiam ciuitati se declarauisse putat, quòd ius suum hucusq; in curia sua non modò consignanda, verumetiam ædificanda differri passa sit. Gratum tamen hoc Maiestati Regiæ existit, quòd Commissarijs ipsius Maiestatis ædes publicas, quarum possessionem iam Commissarij, Ciuitate intromittente apprehenderint, & domos aliquot, quibus curia illa Regia amplificetur, tradiderit.

Quòd attinet delicta in Maiestatem Regiam commissa, cùm ipsa per se tam grauia sint, vt iusto vindicio supplicioque digna iudicentur: non sine causa ea ipsa reuocat Maiestas Regia in animum. Sic enim laxatæ erant in ea Ciuitate insolentiæ & temeritatis habenæ, vt Maiestas Regia cogitaret de ea ipsa ciuitate in exemplum alijs proponenda, eiusq; licentia compescenda & punienda. Cùm tamen eò res ex benignitate clementiaq; Regiæ Maiestatis peruenerint, vt deprecatio Senatus Regni pro ciuitate, eius item humilitas & supplicationes flecterent mentem Regiæ Maiestatis, ac ad ignoscendi misericordiam perducerent: dignum ea Maiestate visum est, quæ parcere supplicibus & castigare superbos: quæ item Christiani Principis officio præditâ seueritatem clementia moderari consueuit, vt ciuitati eorum omnium quæ dicentur gratiam faceret, impunitatemq; tot in se commissorum errorum condonaret. Quid autem commeruerit ciuitas, quæ item pœna statuenda erat in eam, si delicta commemorentur, omnia facilè ipsi iudicare possetis, actum de ciuitate, iuribus,

liber-

libertatibus, & priuilegijs foret, nisi supplex Ciuitatis humilitas, quam per vos internuncios Ciuitas praestitit, Sacram Maiestatem Regiam ad innatam benignitatem, & commiserationem a vindicta iuris debita auocasset.

Non leuiter permouit Maiestatem Regiam crimen violatorum toties Saluorum conductuū, quibus enim, ad hanc Maiestatem quasi ad sacram anchoram confugientibus, eadem ipsa Maiestas vitae salus esse praesidiumque debuit: ijs fuit in ciuitate Gedanensi exitium crudelisque aliquando supplicij causa. Hoc tamen crimen, quo toties Maiestatē Regiam ciuitas offendit, pro quo etiam iudicio Maiestatis eius puniendae erat, Regia Maiestas ciuitati remitit. Saluo tamen iure priuatorum, qui pro damnis contra Magistratum iure experiri voluerint.

Necati item sunt Speculatores maris, seruitores Maiestatis Regiae, in quos nullum ius & iurisditionem Senatus habuit: quorum ignominiose capita palis affixa, horrendum omnibus spectaculum praebuerunt. Cuius rei fama, non sine indignitate Regiae Maiestatis propemodum fines Christiani orbis peragrasse dicitur, In eos viuos per aeque atq; necatos crudeliter est seuitum. Horum trucidatorum autor cum Clefeldus inter alios sit inuentus, ob cuius absentiam, Maiestas Regia causam hanc contra eum tanquam autorem, & alios complices differt ad futurum Regni conuentum. Magistratum verò Gedanens: quòd decreto Commissariorum in huiusmodi causa non paruerit, capitaque speculatorū ex palo deponi & sepeliri non curauerit, eoq;

ipſo pœnæ vndecem millium aureorum ſuccubuerit, li-
berum ex gratia ſua Regia à cauſa & pœna illa facit.

Capitaneum prçterea propugnaculi Manden: quòd Speculatores maris, ſeruitores & milites Regiæ Maieſta- tis portu prohibuerit, in eoſque ac eorum naues globos ex tormentis bellicis eiecerit, Maieſtatiſq; Regiæ au- toritatem propterea offenderit, quòd hoſtilem animum erga ſeruitores Maieſtatis ipſius habuerit, damnaq; illis non mediocria intulerit: quoniam id non ſua ſponte, vti comprobatum eſt, ſed iubentibus nonnullis ex Senatu, quorum imperio parere neceſſum habuit, fecerit: libe- rum facit Maieſtas ſua Regia, eumq; in gratiam ſuam re- cipit: ita tamen, vt iuramento hic coram Regia Maie- ſtate, ex præſcripto conſtitutionum Gedani nunc edita- rum, facto, fidem ſuam eius Maieſtati obſtringat.

Reſtat maximum & maximis pœnis expiandum crimen, quòd Legati & Commiſſarij ciuitate Regia ex- cluſi, inq; eandem ad muneris ſui partes exequẽdas ad- miſſi non fuerint. Quod cùm iura communia crimen fœde rebellionis eſſe cenſeant, non potuit non grauiſ- ſimè Sacram Regiam Maieſtatem offendere, præſertim cùm fama tanti facinoris propemodum vniuerſum or- bem ſit complexa. Etſi autem Sacra Regia Maieſtas habeat, quòd ad animum meritò reuocare poſſit, quod audaci hoc facinore dignitas Regia in ea Ciuitate non leuiter eleuata eſſe videatur: quòd fides & ſubiectio er- ga Sereniſſimos Poloniæ Reges, cuius honorificam no- nionem á maioribus ſuis acceptam, hactenuſq; integrè ſeruatam, non ſine magna laude nominis ſui, ad hanc
ætatem

ætatem ciuitas propagauerat, cùm in hoc Regno tum apud exteros in magnum discrimen præcipitata sit: sibiq; aditum ad ignominiæ famam patefecerit, cùm Legatis Sacræ Regiæ Maiestatis portas clauserit, militem conscripserit, familiam eorundem ignominiosè acceperit, eaq; omnia egerit & fecerit, quæ nisi hosti facere debuisset. Tamen cùm Sacra Regia Maiestas abundè cognouerit, hæc omnia non ciuitatis, sed paucorum ex Magistratu culpa commissa esse, qui abiecto disciplinæ & subiectionis freno, autoritateq; nominis Regij spreta, in publicis officijs, priuatim, & rem & honorem cupidè & ambitiosè quærere veriti non sunt. Proinde & pœnas culpæ à fida ciuitate sua transferendas esse iudicat. Libentiùs licet vidisset, si ciuitas fortiter & constanter penes solitam erga Regiam Maiestatem fidem & obedientiam stetisset, nec ita imprudenter se decipi à paucis passa fuisset. Tamen quia prȩterita reprehendi non corrigi possunt, vitiaq; ab inuitis profecta, si spem emendationis habeant, misericordia non castigatione, clementia item non seueritate digniora esse censentur. Intercessioni Senatus Regni pro ciuitate factæ, vestræ etiam pro ea humilitati & supplicationibus, suæque in primis clementiæ & benignitati tribuendum putauit, vt ciuitati toti & vobis facinus hoc clementer remittat & condonet, pœnaque in autores tanti criminis conuertat. Efficiet autem Maiestas Regia, vt in illis animaduertendis tam Maiestatis eius, quam Legatorum ipsius, totiusq; adeò ciuitatis læsa dignitas merita pœna & castigatione eluatur. Ciuitatem autem eo modo in gra-

tiam

tiam Regiæ Maiestatis receptam, decet esse gratam & memorem.

Nunc demum Sacra Regia Maiestas iustè sibi faciendum putauit, vt ciuitatem rebellionis fideique nota suspectam, autoritate sua, testimonioque Regali, hac suspicione liberaret: publicèque declararet, ciuitatem Gedanensem fuisse semper & esse nunc etiam Regiæ Maiestati fidelissimam, nihilque vnquam in Maiestatem Regiam commisisse, quod eius honori, famæ, dignitati obesse, vel iustè eidem obijci possit. Hac est de ciuitatis virtute & fidelitate opinione & expectatione Regia Maiestas, eritq; semper, quo ad eius rei gratam memoremque se præstabit.

Proinde librum Nobilis Michaëlis Fridevvaldti Maiestatis Regiæ instigatoris, quo publicè edito ciuitatis honorem & famam non solum traductam, sed & grauiter læsam esse ciuitas queritur, tolli & abrogari mandabit: ita vt ea omnia quæ ab eo contra Ciuitatem dicta scriptaq; fuerunt, famæ & honori ipsius nullo vnquam tempore obesse possint & debeant.

Grauamina quibus se premi ciuitas asserit, quæ item in scripto porrexistis. cùm talia sint quæ partim ad declarandam gratiam Maiestatis Regiæ, partem ad iudicialia decreta Maiestatis eius spectãt, in ijs suo tempore ciuitati Maiestas Regia sententiam & animum suũ declarabit, nilque factura est, quòd vel iuri, vel causæ alicuius præiudicium afferre possit. Nihil enim magis cordi est Maiestati Regiæ, quàm vt iustè subditis imperet, eorumque vtilitates promoueat, grauamina tollat.

Quam

Quam gratiam inter alias ciuitates Gedanensi Maiestas Regia semper se probasse meminit.

Decentos Consules quod attinet, non potest Maiestas Regia certi aliquid nunc de eorum libertate statuere, grauibusque causis impulsa, causas eorum omnes & actiones, pro quibus accusati sunt, in futurum Regni Conuentum reijcit, ipsoque sub eadem custodia detinendos statuit.

Licentiam Speculatorum, quam ciuitas accusat, non libenter audit Maiestas Regia, mandabitque Commissarijs suis, quorum iurisditioni eos subiecit, vt eorum talem licentiam coërceant, in eosque delinquentes animaduertant, ac omnibus de illis conquerentibus iustitiam administrent.

De tributo in Conuentu Lublinensi impetrato, nec dum hucusque soluto & collocato, non potest Maiestas Regia Senatus & omnium Ordinum Regni sententiam rescindere: maximè cùm tributum hoc ad publicam Regni defensionem constitutum sit, nec velit Maiestas Regia potiorem ciuitatis Gedanensis in eo relaxando causam esse, quàm aliorum. Requirit autem & ius ipsum & publica necessitas, ipsaque adeò communicatio vtilitatum, vt Ciuitas Gedanensis tributum hoc soluat, nec ampliùs ab eo soluendo se excuset. Quod enim in vtilitatem communem confertur, id iustum, æquum, & legitimum est semper censendum. Negligentiam autem in eo conferendo errore potiùs nunc ciuitatis, quàm temeritate commissam diligentia, Maiestas Regia compensari iubet, alioquin

F ciui-

ciuitatem, decreto Comitiorum contrauenientem, & tributa more aliorum non conferentem, seueritate legum puniet.

Priuilegiorum conseruationem non est opus, vt Ciuitas tantopere Maiestati Regiæ commemoret, quæ nulli vnquam iura & priuilegia infringere, quin potiùs ea ipsa in robore firmitateque sua seruare consueuit. Hoc idem etiam nunc Ciuitas de Maiestate Regia sentiat, quæ sanè eius legitima priuilegia se semper conseruaturam promittit. Jn quorum omnium præmissorum fidem & testimònium, Sigillum nostrum præsentibus est subimpressum.

Dat. Varsouiæ die XXI. Mensis Iunij, Anno Domini. M. D. LXX.

D E-

DEPRECATIO

A BVRGRABIO ET ALIIS ORDINIBVS CIVITATIS GEDANENSIS

Ad genua procumbentibus, in medio Senatus die 23. Iulij Varsouiæ in Comitiis Anni Domni 1571. facta.

Serenißime REX, Inuictißime Princeps, & Domine, Domine noster Clementißime.

REipsa comperimus, Serenißimam Maiestatem vestram Regiam, Dominum nostrum Clementißimum, multis & grauibus causis motam esse, quod Reuerendißimum, & Spectabiles ac Magnificos Dominos Commissarios suos in Ciuitatem suam Regiam Gedanensem delegauerit. Fatemur enim multiplices errores in ea Serenißimæ Regiæ Maiestatis vestræ Ciuitate commissos esse, correctione atque emendatione Serenißimæ Maiestatis vestræ Regiæ valde opus habuerunt. Quod igitur tam erroribus antea commißis, quàm exclusione Legatorum & Commissariorum Serenißimæ Maiestatis vestræ Regiæ, eandem Serenißimã Maiestatem vestram & Ordines Inclyti Regni Poloniæ grauiter offenderimus, sicvt iure in nos omnes & Ciuitatem Gedanens: vindicare Serenis: Maiestas vestra Regia poßit, hoc nobis omnibus vehementer dolet. Per-

mittentes autem nos voluntati Serenissimæ Maiestatis vestræ Regiæ, per omnia sacra Serenissimam Maiestatem vestram Regiam suppliciter rogamus, vt pro innata sua benignitate & clementia, indignationem suam à nobis auertat: & errores omnes hactenus à nobis commissos ignoscat: pœnasque meritas aboleat: & in fidem & clementiam suam pristinam fidos suos subditos recipiat. Pollicemur enim nunquam deinceps contra subiectionis & obedientiæ nostræ debitæ officium quicquam commissuros esse: Verum hos commissos errores omnibus veræ subiectionis & fidei studijs esse compensaturos.

CON-

CONCLVSIO OPERIS.

VIdes, Lector optime, Manifestam & inueteratam, grauissimorum, quos præ manibus habes, REGNI SENATORVM iudicio, Gedanensium pertinaciam, fastum intolerabilem & petulantiam in Seruitores & Clientes Regios tyranidem inauditam, conciuium suorum & vniuersæ Ciuitatis Plebis, ab aliquot saltim opulentioribus, eisque seditiosis, oppressionem in vsurpato sibi iniquè maris & Portus Regni Dominio arrogantiam, ausumque temerarium, Mandatorum Sacræ Regiæ Maiestatis Domini sui supremi, & legum Publicarum leuipendium & contemptum. Quin & ipsam penè ad oculum cernis perfidiam. Vindica qua potes, & huic malo, ne in peius gliscat, vti bonus Patriæ Ciuis, pro virili obsta, & curandum quantocitiùs pro ea, qua poles prudentia, diligenter satage.

Sic & tua POSTHVMA & perennis manebit FAMA.

Oprawił Leon Majchrzak

12. X. 1956.